



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

XVI. De dissolutione obligationis contractuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

fraudandi creditoribus alienationem fieri. Satis enim est si scias debitorem ex alienatione impotentem reddi. Vti colligitur ex §. in fraudem instit. quibus ex causis manumiri non licet. ubi favore libertatis non censetur manumissio fieri in fraudem creditorum, nisi ex expressa intentione creditoribus defraudandi fiat, quod secus est in aliis alienationibus. Sicuti notatur Molina. d. disp. 328. initio. Rebell. dicta. q. 7. num. 10. Dixi si scires, vel debebas scire, quia eo ipso quo à creditoribus monetis ne debitoris bona emas, vel alio titulo donata accipias, quia ea alienatio in suorum præiudicium cedit, censetur non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientie in fraudem creditorum alienationem suscepisse. Vti præcitant Doctores aduertunt, & aperte deciditur in leg. ait prætor. §. quod ait. Et si quis si quis in fraudem creditorum.

PUNCTUM XV.

Expenduntur aliquot quæstiones ex quibus superior Doctrina dilucidior redditur.

1. Sequentes quæstiones in aliorum sententia nullam patiuntur difficultatem.
2. Vfurarius, furibus, aliisque similibus necessaria tantum vendere potest.
3. Conducere famuli suas operas possunt quatenus Dominis id necessarium est, vel ipsi non habent cui famularum præstent.
4. Vxor ex bonis mariti creditoribus debitis bene potest succipere, quæ necessaria sibi fuerint ad victum.
5. Filij ea alimenta quæ decenter acquirere non possunt suo labore & industria ab his debitoribus accipere valent.
6. Filia dotem moderatam accipere à parente debitore potest.
7. Exam natur an mutuum his debitoribus concedere possit, si scias in commestrationibus ludis &c. insumendum.

Quæstiones subsequentes facile solui possunt, si sententiam Molinæ, Petri Nauarri Lessij secuti essemus. Nam cum in eorum sententia nulla sit obligatio creditoribus satisfaciendi ob acceptum à debitore, nisi creditores infra annum, quo sciuerint in sui præiudicium alienationem esse factam, actionem intentauerint, vel nisi debitor ad alienandum fuerit inductus, consequens est his cessantibus neque vllum peccatum admitti, neque vllam obligationem restituendi contrahi. At supposita nostra, & communi sententia asserente peccatum, & obligationem fore restituere, si alienationem in damnum creditorum conficius acceptaueris, tamen si alienandum non induxeris, non leuem difficultatem plures quæstiones ingerunt, quas singulatim proponemus.

Quæstio prima est, an si furibus, vfurtariis, aliisque debitoribus impotentibus ad soluendum, vendas quæ ad eorum victum vestitum, & quotidianum vsum sunt necessaria pecces, obligatque sis restituere? Et quidem si ignarus inde reddi impotentem feceris, conueniunt omnes te non peccare, quin imò neque ad vllam restitutionem teneri. Si autem vendideris conficius impotentem, seu impotentem ex ea emptione reddi distinguendum est, si ipsi vfurtario, furi, seu debitori ea emptio necessaria erat ad sui congruam sustentationem, statum iustique conservationem absque villo peccato, restituendique obligatione, venditionem celebrare poteris. Secus si ad huiusmodi vel similem finem ea venditio necessaria non fuerit. Etenim stante ea necessitate licite vfurtarius, & quilibet alius debitor solutionem debitorum differt. Neque censendus est debitor ex illa alienatione reddi impotens, sed à natura, & fortuna quæ ad eam alienationem cogit. Atque ita docent Syluest. verbo vfurtaria. 8. q. 9. Gab. in 4. disp. 15. quæst. 11. art. 1. dub. 16. corol. 4. Sotus. lib. 6. de iustit. quæst. 1. ar. 4. ad 3. Ioann. Salas. tract. de vfurtaria. dub. 4. n. 10.

Quæstio secunda qualiter famuli, aliique operarii conducere possint suas operas prædictis debitoribus? Et quidem si bona fide laborando processerint possunt à suis Dominis stipendia exigere, tamen si ante solutionem agnoscant inde debitorem impotentem ad soluendum fore reddendum, quia iuste sunt constituti creditores, quibus debitor æquè, ac aliis creditoribus obligatus est. Sicuti docent Adrian. q. ult. de vfurtaria, & Ioann. Medin. q. 4. de restitut. per vfurtariam acquisit. ad 3. princ. Mol. disp. 330. vers. prima est. Ioann. de Salas tractat. de vfurtaria. dub. 4. circa finem. Si autem conscijs sint inde debitorem reddi impotentem creditoribus satisfacere, distinguunt Syluest. vfurtaria. 8. q. 6. Angel. restitutio. 1. num. 21. Gab. disp. 15. q. 11. ar. 3. dub. 16. corol. 5. Sotus. lib. 5. de iustit. q. 1. art. 4. ad 3. Nauarr. cap. 17. num. 270. Toler. lib. 5. cap. 31. Si suis ministerijs tantum vilitatis afferunt bonis debitoris, quantum cum ipsis expenditur nec peccant, neque vlla obligatione tenentur, secus si plus infamant. Sed rigida est hæc sententia, ideoque temperamento indiget. Et quidem quando famuli, vel operarii tantum vilitatis afferunt debitoribus quantum ab ipsis accipiunt nulla erat dubitatio ibi nec peccatum, neque obligationem restituendi

esse posse. Dubitatio vero est quando plus consumunt, idque fecerit. Et dicendum existimo spectandam esse necessitatem debitoris enim debitor ad sui status conservationem illorum operis, & famularum indiget, præstare absque villo scupulo, & obligatione restituendi, poterunt. Secus vero si prædictæ necessaria non fuerint. Quod si dicas ipsi famuli necessariam esse, cum non habeant alios heros quibus obsequantur, iustique operas conducant. Respondeo ob necessitatem famulorum, vel extremam, vel saltem grauem sit (quæ raro contingit) non excusant debitores, & consequenter neque ipsi famuli alienationem aliquam acceptantes.

Quæstio tertia: an vxor possit ex bonis mariti vel creditorum accipere in sui victum, & vestitum? Respondeo ex bonis mariti optime poterit vxor quæ suæ congruæ sustentationi necessaria fuerit, accipere, cum maritus eam concedendi obligationem habeat. Sicuti dixerunt Ioann. Medin. q. 4. de restitut. ad 3. princ. Adrian. prædicta q. ult. Nauarr. d. cap. 17. n. 268. Mol. d. 330. vers. de vxore. Salas. tract. de vfurtaria. dub. 4. n. 11. Saa. v. vfurtaria. num. 6. Ex bonis vero creditorum si functionem recipiunt æquè poterit, cum hæc in inducio vt supradictum non debeantur. Secus est si functionem non acciperent, quia hæc multis creditoribus distrahunt non possunt secula extrema, vel pene extrema necessitate. Illud recte obiecit Molina d. 328. contra acta à marito post contractum mutuum ubi est consuetudo contrahi cum medietate bonorum, obligatam esse vxorem matrimonio dissoluto pro medietate solvere, quia ad vtrumque pertinent.

Quæstio quarta: qualiter filij accipere alimenta ab his debitoribus possunt. Breuiter respondeo si proprio labore, & industria suo statui non de dignis comparare alimenta possunt, neque à parente debitore, & ea occasione se impotentem reddere creditoribus satisfaciendi accipere, quia ipse in eo euentu eis ministrare non debet. Secus vero si aliunde comparare non possunt, quia tunc simul cum aliis creditoribus concurrunt, & potuerunt locum obtinere ob sanguinis communionem. Sic Nauarr. d. cap. 17. n. 269. Molina. vers. quodam filios Saa. v. vfurtaria. n. 6. Salas. n. 11.

Quæstio quinta: quo pacto filia dotem accipere possit, cum ex eius acceptatione parens impotens ioueretur? Respondeo Syluest. verbo vfurtaria. 8. q. 4. Angel. restitutio. 1. num. 19. Nauarr. cap. 17. num. 271. Ludouic. Lopez. cap. 81. Molina. disp. 230. n. si medium & in fine. Vega. v. vfurtaria. cap. 37. n. fine. Eman. Rodrig. corol. 2. p. cap. 106. num. 9. non possit filiam accipere, sed obligatam esse restituere creditoribus, quia dos, donatogue ad nuptias constituitur nequit, nisi ex bonis quæ superflui parenti ære alieno deductio. Sed rectius meo iudicio censuit Ioann. de Salas. tract. de vfurtaria. cap. 42. num. 14. de reus dotem moderatam, & suo statui congruam optime posse filiam à suo patre accipere absque villo onere, & obligatione restituendi, ipsi quæ patrem, eam dotem constituere possit, tamen inde impotens ad soluenda debita reddatur, quia constitutio dotis pertinet ad conservationem status, eo quod parentibus incumbat filiam volentem nubere, media nuptijs necessaria constituere. At ob conservandum statum, & naturalis debitorum obligatio satisfaciendum solutio debitorum suspendi potest. Ergo potest pater constituendo dotem suspendere debitorum solutionem, & ipsa filia eam dotem constituit accipere.

Quæstio sexta: an his debitoribus qui non sunt soluentes, mutuum concedi possit, cum ipsis, seu moraliter præsumis in hec dis, commestrationibus, & ebrietatibus insumptos? Respondeo Syluest. vfurtaria. 8. q. 7. Angel. restitutio. 1. num. 22. Gab. in 4. disp. 15. q. 11. ar. 3. dub. 16. corol. 2. Ludouic. Lopez. 2. p. in fine. Thor. cap. 81. Nauarr. cap. 17. num. 164. Molina d. 330. vers. med. Ioann. Salas. d. vfurtaria. dub. 42. num. 15. Et mutuum concedere non possit, quod si conceas solutionem non debere recipere, cum solutionem recipiens causa es, vepredictus debitor impotentior soluendo reddatur. Idem asserunt de quolibet alio contractu ex quo præsumitur debitorem inique insumptum acceptum. Sed hæc difficultas non cadit. Etenim per mutuum huic debitori concessum conditionem creditorum deteriorem non reddit, sed potius meliorem, cum iam habeat ex quo possit aliquibus satisfacere. Quod vero ipse in vana, & illicita insumat tu non es causa, & casu quo aliquam occasionem præbet absumptioni inique mutuo præbet, facile excusantur peccato posses. Præterquam quod peccatum illud non est inordinatum aduersus creditores, quibus dampnum per accidens sequitur, sed est intemperantia, sacrilegium, & similitum iuxta speciem peccati debitorum committendi. Iacta autem mutatione debitor tibi obstrictus est, æquè ac aliis creditoribus, poteris ergo simul cum illa concurrere, & solutionem accipere. Hæc impugnatio communis resolutionis sub dubio proposita censetur aiorum iudicio decidenda.

PUNCTUM XVI.

De dissolutione obligationis contractuum.

Hucusque de natura contractus, eiusque qualitatibus, & obligatione. Superest agendum de eius obligationis dissolutione.

lutione. Multipliciter contractus obligatio dissolvitur, quin executioni mandetur. Primo subrogatione vnius obligationis in aliam, quae novatio, seu delegatio dicitur. Secundo compensatione a rebus debiti. Tertio voluntate contrahentium. Quarto iuramento decisorio debitoris, & iudicis sententia. Quinto rei debite inmerito. Sexto creditoris remissione. Septimo remissione prelatide quibus sigillatim in sequentibus dicendum est.

§. I.

Qualiter novatione, & delegatione obligatio contractus dissolvatur?

1. Novatio quid sit.
2. Contractus pendente conditione novari non potest.
3. Quomodo novatio fiat.
4. Quid sit delegatio.
5. Ex delegatione non inducitur novatio nisi exprimat.
6. Vel ex circumstantiis voluntas novandi colligatur.
7. Ex subrogatione debitoris, tuo creditori novationem non inducit aliquibus placet.
8. Verius est spectato iure communi novationem induci.
9. Cum contractui lucrativus poena additur novationem induci plures censuerunt.
10. Verius oppositum videtur.
11. Cum praecedens contractus nequit cum subsequenti subsistere novatio inducitur.
12. Explicatur quomodo firma persisterit novatio in qua error commissus est.
13. Ex novatione non debetur tributum venditori, aut permutationi imponitur.

Novatio ut ait Vlpian. in leg. 1. ff. de novationibus a verbo novo dicitur, quia novam obligationem loco prioris subrogat, ideoque novatio est contractus, qui prius debitorum, & obligationem extinguens aliud debitorum, & obligationem loco illius inducit. Unde ad novationem duo requiruntur, nimirum quod prior obligatio extinguatur, deinde nova succedat. Nec refert: an quae extinguatur, & succedat civilis, & naturalis sit, an tantum naturalis, quaecumque enim ex his obligationibus succedat ut alia extinguatur novatio dicitur. Vt ex ipso Vlpiano constat, & notant ibi Glossa, Bart., & alij. Solum enim requiritur quod prior obligatio valida fuerit, & loco illius valida subrogetur. Hinc Vlpian. dicta leg. 1. ff. de novationibus. *inquit, quibus modis toll. oblig. aliter servum suspicentem in se obligationem alicuius debiti solvendi, novationem praestare non posse, quia nec civiliter, nec naturaliter obligatur.* Excepi nisi ex facultate Domini alicuius peculii liberti administrationem haberet. Vt adverte Glossa in leg. fin. in tit. Cod. de novationibus Gregor. Lopez. leg. 17. tit. 14. par. 5. per textum. ibi. Mulier vero novare perfectè non potest, nam etiam si suscipiat in se alterius debitorum, ut poterit beneficio Velleiani, & revocare obligationem iuxta leg. 1. ff. de Senatusconsultum. leg. si paternam. leg. si mulier alienam. Cod. ad Velleianum §. quia revocatione facta prior contractus vires obtinet, ideoque illius obligatio non erat extincta, sed suspensa, dum mulier revocationem non fecisset. Vt singulariter notatur in leg. quamvis. §. Marcellus ff. ad Velleianum. Et ob hanc causam dixi mulierem perfectè novare non posse, quia nequit sua obligatione priorem extinguere, sed solum suspendere dum non revocaverit, censetur enim eius obligatio esse quasi fideiussoria. Vt dicitur leg. regia. 7. tit. 14. par. 5. & ibi Lopez. Mol. disp. 559. post modum. Minor verò & pupillus & iam absque auctoritate tutoris novare possunt, si eorum obligatione creditor contentus sit, quia saltem naturaliter obligantur, sibiique creditor imputare debet quod obligationem ita infirmam, quaeque beneficio restitutionis facile elidi potest, suscepit.

Ob praedictam rationem contractus sub conditione, pendente conditione novari non potest, quia interim nullam inducit obligationem civilem, vel naturalem. Et contra verò contractus purus novatus non censetur contractus sub conditione quousque conditio impleatur, quia eius obligatio suspensa est vique ad conditionis eventum. Quinimo conditio debet impleri tempore habili quo posterior debitor comparere in iudicio possit. Sicuti haec notantur in leg. quoribus iuncta leg. si Stichum. §. 1. ff. de novationibus. §. praeterea, vers. quod autem inquit. quibus modis tollitur obligatio. leg. regia. 16. tit. 14. par. 5. & adverte ibi Gregor. Lopez. leg. 15. in fine. Mol. tractat. 2. de iust. disp. 559. paulo post init.

Fit autem novatio multipliciter, cum ferè sint innumeri modi quibus praecedens contractus extingui, & novus induci possit. Triplex tamen est praecipuus. Primus spectat formam contractus. Secundus personas. Tertius obiectum. Exemplum primi est: vendidisti fundum centum aureis quae debitor nondum solvit, contrahis cum ipso ut accipiat illa centum in mutuum, vel in annum centum, ecce forma contractus, & obligatio mutui, cum id quod debitor erat ex venditione, debetur ex mutuo aut ex censu. Ad

idem est si novo contractu debitum prioris subrogaretur, fideiussores, & pignora remitterentur, vel quod erat ex priori contractu pure debitum in secundo deberetur sub conditione, aut ex contra. Exemplum secundi spectantis personas est cum in secundo contractu diversus creditor, vel debitor constituitur. Sicuti si Titio centum debebas, & subrogas tui loco Sempronium qui debitum sovat. Tandem exemplum modi spectantis obiectum est, cum subrogas aliud debitum loco priori, ut si debeas centum aureos subrogas loco illorum fundum, vel domum, vel alios centum aureos tibi debitos.

Delegatio quae pars est novationis, inquit Vlpian. in leg. de legare. ff. de novationibus. vice sua alium dare reum creditori vel cui creditor iussit. Et licet Glossa in leg. quamvis. §. si mulier vers. pro secundo. in vers. neque enim aliter sit delegatio. & Glossa in leg. si Titius in princ. ff. de novationibus. Paul de Castro. in dicto §. si mulier. & in leg. singularia. numer. 21. ff. si certum petatur & ibi Lalou. numer. 36. Gregor. Lopez. dicta leg. 15. verbo abierantem Glossa. 4. censent aut delegationem esse, nisi persona subrogata tibi debitor existeret, illumque tuo creditori delegas Attamen Aretin. quem refert, & sequitur Matth. de Afflictis decis. Neapol. 33. Decius in dicta leg. singularia. numer. 27. Gutierrez. de iuram. confirm. 1. p. cap. 63. numer. 5. Mol. tractat. 2. de iust. disp. 559. vers. del. gare. probabilis reputant delegationem constitui quocumque debitor subrogato, eo quod delegationi nihil referat esse delegatum antea debitorem, vel non, quandoquidem denuo delegatur ut debitor sit, neque id creditori interest, cum aequè efficaciter debitum solvendum in se suscipere potest, ac si antea debitor fuisset.

Antiquius delegatione maxime qua tuum debitorem creditori subrogabas, & qualibet variatione in contractu facta inducebatur novatio, ut colligitur ex leg. 2. ff. de novat. & leg. vlt. initio. Cod. eodem. & §. praeterea vers. cum hoc quid sit. quibus modis tollitur oblig. At iure novo Codicis in leg. vlt. & dicto §. praeterea, vers. ideo nostra. & leg. regia. 15. tit. 14. par. 5. statutum est ex nulla variatione contractus novationem praesumendam esse, sed oportere id exprimi, vel ex circumstantiis manifestissime colligi, ut notant Doctores in supradictis locis, specialiter Gregor. Lop. in dicta leg. 15. Gutierrez. de iuram. cap. 63. per totum. Anton. Gab. lib. 3. commun. opin. conclus. 1. de novat. Mol. tractat. 2. disp. 559. jere per totum.

Temperant autem Glossa in leg. pecuniam quam numer. 4. ff. si certum petatur. ne procedat haec correctio, si ope exceptionis vtaris. Sed absque vilo fundamento haec restrictio inducitur, cum in dicta leg. fin. & dicto §. praeterea nullum huius restrictionis sit fundamentum, ideoque generaliter sustinendum est novationem non induci nisi id exprellerint contrahentes, vel manifestis coniecturis suum animum declaraverint. Vt ex contrariis testatur aliis relatis Gregor. Lopez. dicta leg. 15. verb. per. manera. Ant. Gab. lib. 3. commun. opin. conclus. 1. de novat. numer. 55. Gutierrez. cap. 63. in m. r. 7.

Dixi nisi ex circumstantiis manifestissime colligeretur contrahentes velle novationem inducere, hoc est priorem obligationem extinguere, & novam creare. Nam eo casu certum est induci novationem. Vt notaverunt Gregor. Lop. dicta leg. 15. verbo per. manera. Gutierrez. dicto cap. 63. n. 8. Molin. disp. 559. post init.

At est dubium ex quibus circumstantiis is animus colligatur? Aliqui censent ex eo tantum quod pro tuo debito solvendo tuum debitorem creditori id acceptanti subrogas, novationem inducunt non esse, sed oportere ut id exprimas. Ducuntur ex dicta leg. fin. Cod. de novat. & §. praeterea vers. ideo nostra. quibus cautur ex nulla mutatione personae, variatione quae contractus ex quibus iuxta praecedentia iura novatio praesumebatur, deinceps censetur ind. etia. nisi contrahentes exprellerint an mo novandi contractum celebrare. At ex subrogatione tui debitoris non satis cum animum exprimis, cum possis ad maiorem creditoris securitatem adieci priori obligatione reverti. Ergo ex praedicta subrogatione non inducitur novatio. Atque ita deciditur novatio Atque ita deciditur dicta leg. 15. tit. 14. par. 5. & ibi Gregor. Lopez. Gutierrez. dicto cap. 63. numer. 5. Molin. disp. 559. vers. his positis.

Certum est si spectato iure nostro regio in dicta lege 15. praedicta sententia sustinenda videatur ut spectato iure communi veniorem, & probabiliorum censeo quae affirmat praesentia de legatione novationem inducunt esse. Quod docet Bart. in leg. singularia. ff. si certum petatur. numer. 19. Lalou. numer. 11. Aleiat. numer. 53. Decius. numer. 16. r. conf. 107. Andreas Gail. lib. 2. observat. 30. numer. 7. Gab. commun. opin. de novat. conclus. 1. numer. 19. Mascard. de probat. volum. 2. conclus. 1111. numer. 3. Andreas Fachin. lib. 2. cap. 73. circa finem. Moucor, quia delegans satis exprimit animum novandi habere. Qui enim loco sui autem debitorem subrogat, voluntatem habet se ab obligatione liberandi. Tam quia constituit alium debitorem solvibilem censetur iuxta leg. quamvis. §. in eundem ff. ad Velleianum. & leg. qui debitorem ff. de si iussoribus. Tum & praecipue quia eundem debiti duo debitores in solidum esse non possunt, si delegans aequè ante delegationem suo creditori maneret obligatus, duo debitores in solidum dari non potest delegans, & delegatus, in quem delegatum delegans nullam haberet actionem, cum omni

3. Ceterum veritas censet opponentem compensationem debiti aduersarii fieri. Vt docuit Bald. in leg. cum papinian. Cod. de sen. col. 3. Aretin. in leg. decem. col. penult. ff. de ver. bor. obligat. Natta. in cons. 1. 4. num. 6. et cons. 684. num. 1. Surdus dec. 1. 4. n. 7. Gregor. Lopez. leg. 20. tit. 14. part. 5. Gloss. 3. Fundamentum est, quia compensatio est debiti & crediti mutua contributio. Ergo compensationem opponens necessario facit debitum, & creditum vtpote quibus compensatio nititur. Quod si dicas fieri debitum non absolute, sed sub conditione, si aduersarius probauerit: obstat, quia debitum quod non est, & forte non erit in compensationem venire non potest. Ergo compensatio praesens in re obiecta non potest spectare debitum, quod nescitur an futurum sit.

4. Neque fundamentum contrarium obstat. Fateor excipientem non fieri aduersarii incrementum ex se & formaliter, at virtute iter, & indirecte fieri aliquando posse non tam ex exceptione, quam ex modo exceptionis quum assumit. Ob quam causam forte dixit Bart. in leg. 2. num. 1. de exceptionib. & Alexand. cons. 1. lib. 1. compensationem non esse proprie exceptionem. Neque item obstat quod compensatio sit solutio, & opponens solutionem non faciat debitum, quia licet non fiat debitum praesens, facit tamen debitum fuisse quod solutione extinguit. Evidens est dicendum de compensatione.

5. Effectus proprius compensationis est debitorem compensantem liberum a debito constituere. leg. si ambo ff. de compensat. lib. 1. Quod mirum non est cum ipsa compensatio sit debiti solutio, vt inquit Consilius. in leg. 4. §. solutio. ff. de re iudicata. Solutio accipere debemus non tantum cum qui soluit, verum omnem omnino qui ea obligatione liberatus est.

6. Inducitur autem compensatio ab eo puncto quo tuum creditorem habes: eo namque ipso tuum debitum creditoris debito compensatur. Vt colligitur ex leg. si censit iuncta Glossa ibi. et leg. 2. Cod. de compensat. lib. 1. leg. cum ambo. leg. cum alter. leg. idem iur. ff. eodem. tit. & notant pluribus rectoribus Nauarr. in comment. de usuris. num. 124. Couarr. cap. quamvis postum. p. §. 4. num. 9. Gutier. de iuram. confirmat. 3. p. cap. 6. num. 1. Molina. tract. 2. disp. 60. in princ. Quocirca cum in iudicio opponitur compensatio non est vt fiat, sed vt facta ipsoque iure iuncta declaratur, maxime cum dubium est inter partes an compensatio locus deat, iuxta leg. quod in diem. §. 1. ff. de compensat. lib. 1. leg. si autem. §. ult. ff. de negotiis gestis, & aduertit Fachin. lib. 1. cap. 93. in fine.

7. Vt vero hac acceptio compensationis in iudicio admittatur, debet esse debitum liquidum, & manifestum cuius probatio in promptu sit, iuxta leg. ult. Cod. de compensat. lib. 1. cap. bona fides in fine de Deposito. Quando autem censetur debitum liquidum esse, facileque probari posse iudici arbitrio remittendum est ex communione sententia auctor. Bart. Innocentio, Angelo, & aliis apud Gregor. Lopez in leg. 20. tit. 14. part. 5. Gloss. ult. & Menoch. de arbit. casu. 14. qui spectata debiti qualitate tempus designabit ad liquidum illius probationem. In regno tamen Castellae leg. 2. tit. 1. lib. 4. noua receptat. et dicta leg. 20. decem dies conceduntur qui concedi debent, tamen si solutio facienda est virtute instrumenti garantigij, aut sententiae executivae. Vt aduertunt Greg. Lopez. dicta leg. 20. tit. 14. part. 5. Gloss. 6. Gutier. de iuram. confirmat. 3. p. cap. 6. num. 2. Azuero. leg. 1. num. 128. tit. 21. lib. 4. noua receptat. Didac. Perez. leg. 4. tit. 8. lib. 3. ordinam. Molina. disputat. 560. ante medium. Etenim cum compensatio sit solutio in effectu decuit maxime, vt obligatio solueretur daretur locus ad compensationem probandam, vt ea probatione facta constaret de solutione.

8. Index apud quem hac exceptio opponi potest est non solum ordinarius, sed delegatus. Vt tradit Bald. leg. penult. ad finem. Cod. si a non compensat. iudice. quem sequitur Greg. Lopez. dicta leg. 20. Gloss. 5. tit. 14. part. 5. Coram arbitro tradunt ij Doctores opponi compensationem non posse ex causa extrinsecae rei quae compromittitur. Secus vero ex causa intrinsecae, seu coniectura. consentit Molina. tract. 1. disp. 560. post med.

9. Compensatio in omni debita, quod vere debitum sit siue naturale, siue civile locum habet dummodo iure positio prohibita non fuerit. Vt colligitur ex leg. ult. Cod. de compensat. Vnde quia ex debito sub conditione vel in diem, quousque conditio existat, vel dies adueniat, non debetur solutio, compensatio esse non potest. Secus si debitum esset, & solum concederetur tempus miserationis causa solutioni paranda. Habetur leg. si cum mitti. §. ult. ff. de compensat. lib. 1. Bene tamen concedenda est compensatio debiti civilis cum naturali, aut e contra. Vt si conueniens ex debito naturali, obicere compensationem potes, quia debitum naturale esto non pariat actionem, parit tamen exceptionem. Vt bene notant Maranta de ordine iudicij. par. 4. disp. 6. n. 1. Molina. d. disp. 560. post init.

10. Debet tamen debitum esse eiusdem rationis, hoc est eiusdem estimationis vt locus compensationi deat, quod esse non potest nisi in his rebus quae functionem recipiunt, quaeque sunt eiusdem speciei, & quarum vna loco alterius iuncto creditore solui potest. Vt si deberes triticum cum alio tibi debito est

compensandum, & si deberes pecuniam cum alia pecunia Non autem debitum tritici cum debito pecuniae, neque e contra compensari potest, & multo minus debitum pecuniae cum veste, fundo, vel pretio debito, nisi forte his parentibus in pecunia soluenda forent: tunc enim debitum pecuniae non cum debito fundi, sed pecuniae compensaretur. Quando autem ex utraque parte res in genere deberentur. Vt si deberes Titio centum arietes, & ipse totidem tibi compensatio esse potest, eo quod neuter teneatur determinatos soluere, sed quibuscunque solutis debito fiat satis. Vt hac colligunt Doctores. Glossa, Bart. & alij in leg. quacunque. ff. de compensat. lib. 1. leg. si constat. et leg. fin. Cod. eodem. tit. et leg. diuersio. §. ob donationes ff. solo matr. Gregor. Lopez. dicta leg. 20. tit. 14. part. 5. Molina. tract. 2. disp. 560. post med. Fachin. lib. 1. controuers. cap. 7.

Verum esto in debitis rerum quae functionem non recipiunt compensationis locus non sit, est tamen locus retentioni, potes namque quasi in pignus retinere debitum triticum, quousque pecunia, vel equi tibi debitis soluantur. iuxta leg. si conuenit. 18. ff. de pignorat. actione et leg. si necessarias. §. 1. eodem. et leg. si non forent. §. si centum. ff. de condit. indebiti. ibi, ager autem retinebitur, donec pecunia debita soluantur, & notat Duaren. ad tit. de compensat. lib. 1. Parilius. cons. 100. num. 36. lib. 2. Carol. de Grassis. tract. de except. in 16. except. num. 16. et 17. Scraphin. de priuileg. iuram. priuileg. 74. num. 144. Andreas Fachin. lib. 1. controuers. cap. 7. Molina. disputat. 560. post medium.

Notanter dixi, nisi iure positio prohibita compensatio sit. Sunt enim aliquot casus, in quibus ex legis dispositione non permittitur compensatio etiam in debitis rerum functionem recipientium. Primus desumitur ex leg. mea. Cod. de compensat. et leg. auferitur. §. qui compensationem. ff. de iure fisci. et leg. ob negotium. ff. de compensat. quibus casibus ne compensatio fiat illius quod Regi, ciuitati, alterius communitati debetur ad refectorem, seu constructionem murorum, fontium, pontium, & similium, vel in subsidium belli, vel in quolibet aliud tributum, vel in fideicommissum. Haec enim debita in sua specifica forma, & non per fictionem disponit ius vt soluantur. Vnde nemini permittum est ea cum alio debito quod ei princeps, respectu publica, aut communitas debet compensare. Vt aduertit Gregor. Lopez. leg. 2. tit. 14. part. 5. per Textum ibi Glossa, & Doctores, in supradictis legibus. Molina. tract. 2. disp. 560. circa finem. Ad idem est quod desumitur ex leg. si ex venditione. Cod. de compensat. lib. 1. ibi enim statutum est quod si fideus tibi aliquid vendat non posses compensare pretium illius cum alio debito, quod tibi vicissim fideus debeat.

Secundus habetur in leg. fin. in fine. iuncta Glossa ibi Cod. de compensat. et leg. regia. 27. tit. 14. part. 5. limitum condemnatum ob iniuriam, furtum, aliudque maleficium ad soluendum debitum iniuriato non posse compensationem obicere, sed debere in specifica forma debitum soluere, nisi forte is cui debitum soluendum sit ex simili maleficio debitor existat. Sicuti in contractu societatis, cum uterque socius damnum sibi iniunctum fecerint compensatio admittitur. Sic Greg. Lopez. dicta leg. regia. 27. Molina. d. disp. 560. prope finem.

Tertius continetur in leg. si quis vel pecunias. Cod. de deposito. et cap. bona fides de deposito, et leg. regia. 5. tit. 3. et leg. 27. tit. 14. part. 5. His namque locis cauetur ne debitum ex deposito cum alio debito etiam ex deposito compensetur, quia imo nec pro illius solutione retineatur. Sed cum primum petatur restituendum est, & postmodum actio intentanda, vt alterius debitum, vel depositum reddatur. Sicuti notant Molina & Greg. Lopez. loc. cit.

Quartus habetur leg. fin. Cod. de mandato, et leg. regia. 6. tit. 2. par. 5. ibi enim dicitur commodatum commodanti reddendum esse, nec posse commodatarium cum alio debito commodantis compensare, aut occasione illius retinere, nisi forte debitum fuerit ortum ex expensis in conseruatione commodati factis. Sic Gregorius Lopez dicta leg. 26. Molina. disputat. 297. circa finem.

Vltimo debitum alimentorum compensationem non admittit. Vt aduertit Molina. disp. 560. circa finem. Horum enim specifica solutio est maxime necessaria. In his enim casibus non admittitur compensatio in foro iudiciali, at in foro conscientiae si alia via debitum recuperare non possis, & scandalum absit, vt compensatione, vel retentione poteris. Vt tradit Syluest. verbo compensat. q. 2. et verbo furtum. qu. 13. Nauarr. cap. 17. numer. 112. et 115. Petr. Nauarra. lib. 3. cap. 1. numer. 390. Saa. verbo depositum. numer. 4. Rebell. 1. p. lib. 2. qu. 18. Lessius. lib. 2. cap. 17. dubit. 4. numer. 16. Paul. Layman. lib. 3. summ. tractat. 2. cap. 9. circa finem.

Personae quae in casibus permittis obicere compensationem possunt, sunt non tantum debitor principalis, sed eorum fideiussores; hi enim compensatione debiti quod creditor ipsis, vel creditori principali debet, se tueri possunt, quia actiones, & exceptiones principali debitori competentes fideiussoribus competunt, & deciditur leg. regia. 24. tit. 14. part. 5. et ibi Greg. Lopez. Deinde procurator alicuius debitoris, vel fideiussoris compensare

pensare potest eorum debitum cum debito quod ipsis creditor debet. Si tamen prestat cautionem de rato. hoc est adhibeat fideiussorem quod si eius partes gerit ratam compensationem habebit. *argum. leg. si cum si iustitiam ad finem. ff. de compensat. ubi si filiusfamilias compellatur a suo creditore solvere aliquod debitum potest illud compensare cum debito quod creditor eius parenti debet. si tamen fideiussorem de rato adhibeat. Nunquam tamen procurator compensare potest suum debitum proprium cum debito quod creditor suo Domino debet. nisi Dominus cessionem fecerit. Quod docuit Gregorius Lopez. & Molina. loco citato.*

14 Tamen si nullus possit in iudicio procuratoris munus exercere, nisi a Domino habeat mandatum, attamen si alicui absenti nec se valenti defendere debitum exigeretur, potest quilibet de populo creditori obicere compensationem debiti, quod ipse reo conuenit debet prestat cautionem fideiussoria quod conuenit ratam compensationem habebit. *argum. leg. exigere. Cod. de procuratoribus. leg. si iustitiam. ff. de solutionibus. & aduertit Gregor. Lopez. leg. 27. per textum ibi tit. 14. part. 5. Mol. diff. 560. post medium. Quod a fortiori procedit in filiofamilias qui licet non possit recipere id quod patri debetur ex alio contractu, quam ex eo in quo ipse interuenit etiam prestat cautionem de rato. vt in leg. si vnus circa princip. ff. de Pactis. & in leg. non solum. ff. de luto matrimonio, attamen si tamen solutionem recipere poterit, compensationem obiciens debiti quod suo patri debetur. Vt deciditur. in dicta lege si cum filiofamilias ff. de compensat. & leg. regia. 2. tit. 14. part. 5. & aduertit ibi Gregor. Lopez. & Molina. supra.*

15 Duplex tamen superest difficultas: prima an promittens soluturum debitum nullatenus exceptione compensationis teneatur stare contractui? Ratio difficultatis est, quia videtur hac promissio contra bonos mores vt porro aduersa legi compensationem concedendi. Deinde videtur promissio de se impossibili. Cum impossibile sit te obligatum esse ad soluendum debitum, quod debito tui creditoris exinctum est; nam cum compensatio, vt supra diximus, non indiget sententia iudicis, neque allegatione in iudicio, sed eo tantum quod aequale debitum a creditore contrahatur, censetur inducta, nequit ea tamen debitum subsistere, se domino perire. Non igitur te obligare potes ad debitum soluendum, cum compensationis exceptionem habes.

Ceterum verius est predictum pactum validum esse vt defendit Molina. *tratt. 2. disp. 560. circa med. vers. vtrum autem.* Moueor ratione opposita, quia predictum pactum, & illius obligatio non est de se impossibilis, vel iniqua, quia non est de soluendo debito, quod simpliciter, & abique vlla exceptione debitum fit, sed de soluendo illo debito quod possibile est, & nullam iniquitatem continet. Si enim iure positio multis in casibus impeditur compensatio, quae alias iure naturae debita erat, cur non impediti poterit propriae voluntatis renuntiatio? Et quidem quando haec renuntiatio iuramento vallata esset, mihi certissimum est, & ferè omnes Doctores statim referendi tradunt obseruandam ad vnguem esse.

16 Quapropter secunda difficultas, & grauior est. An iurans se soluturum debitum vi compensationis possit? cum tempore iuramenti non intenderit expresse compensationi cedere, quin imo forte nullius compensationis meminisset. Triplicem in hac difficultate inuenio sententiam. Prima negat te compensationem vi posse, sed idem esse, ac si expresse compensationi renunciasses. Sic docuerunt Innocent. Ioann. Andreas, & Imola in cap. ad nostram de iure iurando. Seraphin Senens. de priuilegiis. iuram. priuilegio. 74. numer. 36. propendit Gregorius Lopez. leg. regia. 2. tit. 14. part. 5. Glossa 1. Anton. Gabriel. lib. 1. commun. opinion. conclus. 7. de iure iurando. Gutierrez de iuram. confirmat. 3. p. cap. 6. numer. 6. & alij apud ipsos. Dicuntur praecipue ex cap. ad nostram de iure iurando, ubi accipientes mutuo pecuniam traditis mutuanti pignoris, & iurantes nullam ei molestiam illaturos, quousque soluerent pecuniam mutuam, damnantur vt soluant non deductis prius fructibus ex pignore perceptis, cum tamen verè deducendi essent, & in fortem principalem computandi. *iuxta leg. 1. Cod. de pignoratitia actione:* aliàs esset usurarius contractus. *cap. cum contra de pignoris. & cap. 1. & 2. cap. conquisitus de usuris.* Sed illa deductio videtur reueruata vt postmodum facta solutione fiat. *argum. cap. debitores. de iure iurando,* ubi iurans solvere tamen ei concedatur repetitio. Secundò ea est vis iuramenti vt promissioni adiectum cogat in specifica forma impleri. vt colligitur ex Doctrina Glossae in leg. si pecuniam. verbo necesse habere. ff. de condit. causa data, ubi iurans aliquod factum illud prestare teneatur, nec satisfacit soluendo interesse, cum tamen si non iurasset satisfacere, optime posset. *iuxta leg. si stipulationes non diuiduntur. vers. Celsus. ff. de verbor. obligationibus.* Ac compensatione vtens non adimplet iuramentum soluendi factum in specifica forma, quandoquidem compensatio iuris dispositione solutio est, ac proinde ficta & non vera.

Tertiò desumitur ex leg. penult. Cod. de positi. & leg. fin. Cod. de compensat. cap. fin. §. sane. de deposito. & leg. 27. tit. 14. part. 5. quibus in locis cauetur compensationem opponi non posse aduersus debitum ex deposito ob maximam fidem quam deposita-

rius seruare tenetur deponenti. Vt dicit Glossa. in leg. ob negotium. vers. item eadem ratione. ff. de compensat. per Terman. de bona fidei iustit. de actionib. Sed strictior, & excellentior fides Deo Optimo Maximo debetur qui in testem solutioris adductus est. Ergo admittenda non est compensatio.

Temperant autem hanc sententiam Gregor. Lopez. *supra.* & Gutierrez. numer. 8. vt locum non habeat quando iurans soluit non possit, tunc enim compensationem vi po. ent. At vt rectè aduertit Molina. *disputat. post medium.* id solum potest intelligi, cum solutio simpliciter est impossibilis, non autem cum est difficultis; & licet eo casu ob impossibilitatem excusetur, attamen cum ad pinguem fortunam deuenit, solvere ob religionem iuramenti debet.

Secunda sententia affirmat in predicto casu iuramentum posse compensationem vi, ac si iuramentum non haberet. Quod docuit Bart. in leg. amplius. numer. 8. ff. rem ratam haberi. Baldus de Panormi. in cap. ad nostram de iure iurando. Olafius de iur. demon. numer. 92. Couarruias in cap. quoniam pactum de Pactis. lib. 6. 2. p. §. 4. numer. 9. Ioann. Medin. Cod. de re iudicat. quib. 3. causa 12. Couarruias. cap. quoniam pactum. de Pactis. quib. 3. numer. 5. Petr. Nauarr. lib. 2. de iust. cap. 1. numer. 339. And. de chin. lib. 1. contron. cap. 7. Molina. Iesuita. *tratt. 2. de iust. disp. 560. circa medium.* & alij plures apud ipsos. Mouentur primo, quia compensatio iuris dispositione, & stylo recepto, pro vera solutione habetur. *iuxta leg. 4. §. solui. ff. de re iudicat.* Ergo iurans solvere, compensationem oblata, satisfaci, sicuti satisfecit solutionem offerens, quia iuramentum interpretari debet in communem styli, & iuris dispositionem. Et confirmari potest ex leg. ad diff. ff. de verbor. significat. ibi, dedisse intelligatur est in qui compensauit. Item ex leg. si debitor. ff. qui potior in pignore habent. ibi. Nec enim inter se soluitur, an compensatio. Secundò iuramentum sequitur naturam actus cui adhaeret, cap. quoniam pactum de iure iurando. At compensatio regulatur in omni debito locum habet. leg. 2. ff. de compensat. Ergo etiam habere debet locum in debito iurato. Tertiò compensatio summa creditorem repellit. Vt dicitur in dicta leg. 2. ff. de compensat. ibi, vnusquisque creditorum suum, eundemque debitorem repellit si paratus est compensare: ac exclusio creditore cessat debitorum, & consequenter cessat materia iuramenti, quod in tantum obligare poterit, in quantum addebat creditor. Quarta arguit Bartol. debitum sub conditione compensari potest. Vt probat lex si pignus. §. si de iilo. ff. de statulib. Vbi seruus iustus dare decem heredi liber efficitur, si heredes totidem seruus debeant: & ipse seruus compenset, & tamen conditio in specifica forma impleri debet, leg. qui heredi in princ. & leg. Nauis. ff. de condit. & demon. stratur. Ergo non obstat quod iuramentum in specifica forma implendum sit, compensatione cessante debet impleri. Quarta idem Bart. quod tu impedis ab executione iuramenti peritius non es. leg. fin. ff. qui satisfacere coguntur. At credens qui simul tui debitor est, non soluens suum debitum te impedit ne tuum soluas. Ergo interim ac non soluit, peritius non est. Et confirmo inutilis censeri debet actio illius qui in causa est, vt quod sibi debetur non soluatur. leg. potior. §. si qui potior in pign. habent. Sed creditor tibi non soluens in causa est quominus tu ei debitum soluas. Ergo eius actio inutilis est, & vt talis repellenda. Sextò, Res iudicata, & iuramentum equiparantur. leg. 1. §. de iure iurando, & leg. post rem iudicatam. ff. de re iudicata. At in debitis descendentibus ex obligatione rei iudicatae compensatio admittitur, vt iuratus dictum est Et probat lex 2. Cod. de compensat. Ergo etiam in debitis iuratis admitti debet.

Tertia sententia distinctione vritur, si ante obligationem iuramentum, contractum erat illud debitum quod in compensationem deducitur, locus compensationi non est, secus vero si iuramento superueniat. Sic alij relatis Mathaeus de Afflictis de iur. Nephtia. 381. n. 3. Capicius de iur. 167. n. 7. Gutierrez de iuram. cap. fin. cap. 6. numer. 7. Priorem partem probat haec sententia, quia tunc nulla est causa quominus iuramentum in specifica forma impleatur, maxime cum compensationi videatur cedere qui cum debitum non est, iurat se soluturum. Secundò inde probatur quia iuramentum obligare debet rebus in eodem statu permanentibus. cap. quoniam pactum de iure iurando. At negari non potest grauem esse mutationem factam, siquidem tuus creditor debitor est constitutus.

Inter has sententias secundam probabiliorē existimo: tum quia benignior est; tum quia efficacioribus nititur fundamentis, quate siue debitum compensandum praecedat iuramentum, siue illud subsequatur, compensationem obicere poterit, dummodo expresse illi non cesserit. Sicuti aduertit Molina loco citato. Semper enim in hoc iuramento subintelligitur si obligationem habuerit soluendi. Quare cum posita compensatione, nulla adit solutio obligatio, cessat vis iuramenti. Quod ex solutione argumentum manifestius erit. Nam Textus in cap. ad nostram. si rectè expendatur nihil fauet sententiae neganti compensationem: ubi enim nihil agitur de compensatione sed solum de vindicatione pignoris ante solutionem factam, quam vindicationem immutuari fecerat antequam quantitatē in mutuum acceptam soluisset, cum fructus ex pignore percepti illi quantitas

nondum adequasset. Ut constat ex illis verbis textus. Licet enim ex dictis possessionibus, & redditibus, nondum sortem deductis expensis receperit &c. obligati namque erunt iuramento mutuant non molestari, quousque mutuum redderent. At qui gravem molestiam ei fecerint iudicando pignus, cum nondum integre mutuum soluisset, sine exhibendo pecuniam, siue compungendo fructus ex pignore perceptos. Et casu quo gratis concederemus mutuantem fructus sortis aequales percepisse credendum est mutuantem iurantes nullam molestiam mutuantem illaturos supra pignora concessa compensationis renunciasse. Adde praedictum textum aduersus Gutierrez. & Doctores tertiae sententiae procederes ipsa enim fatetur si debitum compensandum iuramento superueniant, vim iuramenti cessare in praesenti casu debitum quod mutuatarij illi compensare debebant cum suo debito post obligationem iuramentum aduenit, siquidem erat debitum ex fructibus a pignore acceptis.

Secundum argumentum nullus est momenti, fateor namque iuramentum in specifica forma implendum esse, at nego compensationem supposita dispositione iuris non esse veram, & propriam solutionem. Neque obest iuramentum factum non satisfacere soluendo interesse, cum tamen fecit iuramentum satisfactus foret, qui solutio interesse, loco facti ex benignitate inducitur & non regulariter, quandoquidem iure canonico, & in causis piis non admittitur. At compensatio regulariter, & indistincte pro solutione admittitur, & non ex beneficio legis, sed ex ipsa rei primordialia natura. Oportuitque ut ius aliquis casus exipere in quibus compensatio pro solutione non computetur.

Ad tertium in his quae à iure positio pendet argumentum à paritate rationis non concludit. Fateor namque in debito depositi compensationem pro solutione non admitti, iure, sic disponente, quae alias admittenda erat. At quia in obligatione debiti iurati id depositum non est relinquatur suae primordialia naturae, quae est ut debito compensatio obici possit. Neque obest strictius fidem seruandam esse Deo, quam deponenti, etiam utique est in sua materia, non extra. Quare si materiae debiti iurati compensatio sit facta, ut probatum est, quia contrarium ut in deposito, & commutato & debito ex deictio, & alius iure cautum non sit, ibi fides iuramenti strictissime seruanda est.

Ad extremum resoluit recte Molera tract. 2. de iustit. disput. 560. in fine. cum Lalarte de decima vendit. cap. 7. n. 5. tributum illud quod Castella à canal appellatur, quodque cuiuslibet contractui venditionis, & permutacionis amittitur, nequaquam ex compensatione, etiam mutuo consensu facta, debet; quia compensatio nec est venditio, nec permutatio, sed est utriusque partis obligationum extinctio, seu remissio.

§. III.

Qualiter in foro conscientiae, compensatione debitum extinguitur?

- 1 In debitis ubi non est locus compensationi, admittitur retentio.
- 2 In deposito non admittitur compensatio ex communi sententia, estio plures probabile consensu admitti posse.
- 3 Prens compensatione cauere debet, ne alia via debitum extinguitur.
- 4 Ad compensationem oportet, ut debitum ex utraque parte contractum sit.
- 5 Si facile petendo à debitore, vel interpellando iudicem obtinere debitum potes, nequis propria auctoritate recuperare.
- 6 Secus si difficile possit.
- 7 Arguitur posse vi debitum etiam quod non est in specie recuperari, cum alia via non suppetit.
- 8 Qualiter famuli vi compensatione possunt ob non solum debitum stipendium.

Quae diximus in superiori §. deferuere praesenti possunt, cum compensatio quae in foro externo admittitur, à fortiori in foro conscientiae admittenda est. Ut ergo distinctè procedamus, manifestum est in debitis eiusdem rationis compensationi locum esse in foro conscientiae, sicut & in externo. Nam si tu mihi debes centum oves, vel decem aureos & ego totidem, tibi vi compensatione possum, quia per inde est te eximere ab obligatione dandi mihi centum, ac si centum tibi darem. Quando autem debita sunt diuersae rationis, quia tu mihi debes centum aureos, ego vero tibi debeo equum, etsi compensatione vi non possum, quia haec solum habet locum in rebus functionem recipientibus; at retentio possum vi quippe ratione re possum equum etsi plurius aestimetur, quousque tu mihi centum debita soluas. Nam cuiuslibet datum est diligenciam adhibere, ut se indemnem seruet, & consequenter ne sibi debita amittat. At saepe ad huiusmodi finem consequendum necessaria est retentio, alieni debiti, quia eo soluto licita non soluit quod debet. Ergo eo casu retentio aliena est. Neque enim alius ex mea retentio conquiri potest, quandoquidem ipse mihi debitum retineat. Atque ita docet Co-

uarru, in cap. quammis pactum de pactis p. 54. numer. 5. Ioann. Medin. Cod. de resit. cap. 1. n. 239. Lessius lib. 2. cap. 11. n. 133.

Excipiunt tamen Ioann. Medina, Couarru. num. 9. & alij communiter debitum ex deposito, ne in eo debito etiam in foro conscientiae permittatur ob tacitam obligationem, qua depositarius re ipsa, & de facto ad reddendum depositum videtur allectus, iuxta Textum. in cap. Bona fides de deposito. Nam depositum in gratiam deponentis regulariter constituitur, si autem depositarius eo compensare posset quod sibi debitum est, potius in eius fauorem, quam in fauorem deponentis esset depositum constitutum. Tamen Eman. Saa. verbo depositum. Lessio. cap. 12. num. 60. Petro Nauarr. lib. 3. cap. 1. numer. 344. Rebello. 1. p. lib. 2. de resit. q. 18. Paul. Laym. lib. 1. sum. sect. 5. tract. 2. cap. 9. in calce. quest. 3. non videatur improbabile, ut in foro conscientiae compensatione possit.

Oblervant autem omnes fere Doctores vtentem compensationem, cauere debere periculum, ne debitum compensatum extingatur alia via. Quapropter inquit Nauarr. cap. 17. num. 113. Lessius lib. 3. cap. 12. num. 17. obligatum esse sic compensantem monere suum debitorem de compensatione facta.

Quando autem ex vna parte debitum tantum est contractum non est locus compensationi, quae mutua debita exigit.

Sed an possit tunc propria auctoritate debitum recuperare, an necessario Iudicis auctoritatem interpellare debeas, non caret difficultate, eo quod absque iudicis auctoritate potes compensationem vi, quae est tui debiti recuperatio. Ergo & iam poteris recuperare ab alio debitum, esto illi nihil debeas.

Nihilominus dicendum est, si petens à debitore, vel interpellans Iudicem, debiti solutionem obtinere potes, nequaquam tibi licet, propria auctoritate debitum à debitore eripere. Sicut ex communi docuit Nauarr. cap. 17. num. 113. Petr. Nauarr. lib. 3. cap. 1. numer. 344. Lessius lib. 2. cap. 12. numer. 57. & 58. Quia nemini concessum est officium iudicis usurpare, nec ius sibi in propria causa dicere. Alias si hac liceret furis, & latrociniis Republica plena esset, nullusque securè vivere posset, meritoque conqueretur debitor, sibi non praemonito rem auferri, & ex alia parte, ut bene Petr. Nauarra aduertit occasio daretur male de proximo innocente suspicandi, & iniquum de domesticis, alitque familiaribus opinionem concipiendi: ideoque iure naturae ea clandestina recuperatio debiti iniqua est, in quo latum est discrimen à compensatione. Nam recuperando debitum eripiendo illud de potestate debitoris, officium iudicis usurpas. At quando solum negatiue te habes debitum non soluendo, apud te retinendo, nullum publicum officium usurpas, sed solum te defendis, vel potius defensionem iure concessa veteris.

Verum si debitum sit moraliter certum, (nam in dubio nullus recuperationis est locus, cum melior sit possidentis conditio) & ex alia parte desperes petendo debitum amicitiaiter à creditore, vel Iudicis officio, recuperaturum absque grati tui incommodo, & iactura vel rei familiaris propriae, vel amicitiae cum debitore iniuriae, & à te magni habitae, secretò inquit Lessius, & Petr. Nauarra supra, recuperare debitum poteris. Quod idem docuit innumeros referens Menoch. lib. de arbitrar. centur. 6. casu. 516. quia in eo euentu ea debiti susceptio proprii iuris defensio est, & iniuria tibi factae propulsio est reputanda. Quod si dicas inde inferri non solum occulte, sed palam posse debitum à debitore eripi, illamque petimere, si forte ereptioni resistat, cum licitum sit vim vi repellere? Respondet Lessius cap. 12. num. 65. Nauarr. cap. 1. num. 368. si debitum recuperandum in specie debitum sit, ita ut tu illius habeas dominium te posse cum moderamine inculpatae tutelae à debitoris manibus eripere, cum alia via tibi recuperandi non suppetat, quia non videris aggressor, sed defensor propriae rei, & redemptio illius de manu furis. Si vero alius non retineat apud se rem tuam in specie debitam, sed solum personaliter debitor sit, non tibi licet palam eius bona eripere, ut tibi debitum recuperes, quia censendus eris aggressor, non defensor, utpote qui nullum bonum quod tuum sit defendas, sed alterius bona aggrediaris.

Ceterum esto hoc ita sit tenendum, & consulendum, non deest cui haec doctrina difficultatem ingerat, & in oppositam partem propendeat. Primo quia debitor aolens solvere debitum iniuriam tibi facit, ergo potes hanc iniuriam repellere, & propulsare propria auctoritate, cum alia via non est. Cuiuslibet enim à natura concessam est ius se defendendi, & iniurias repellendi. Secundo inuadens res alterius, aggressor est, cum nullo iure, nullaque legitima causa ducitur, at in praesenti ducitur occasione recuperandi tuum debitum, & repellendi iniuriam alterius pendentem. Non igitur aggressor, sed defensor est nuncupandus. Tercio fateor Nauarra lib. 3. cap. 1. num. 370. existentem te in necessitate extrema, vel graui si petas res à diuite, & non succurrat, posse eius res res inuadere, & vim ei inferre, quia denegando tibi subsidium, iniuriam irrogat. At strictiori iure narrat tenetur debitor tibi debitum reddere, poteris ergo si denegat illius res inuadere, ut ea inuisione iniuriam propulles. Sed haec non vrgent, ideoque cautè procedendum est ne iniustis via aperiat. Quapropter pensanda erit qualitas debiti, & damnum

damnum, & scandalum quod ex ea violenta recuperatione timeri potest, quod regulariter gravissimum esse solet. Ob cuius causam merito Doctores iudicantur lege charitatis creditorem obligatum esse ab ea recuperationis via abstinere, & colligitur ex his quae docet Menoch. dicto casu 516. in fine.

Ad extremum famuli, alique obsequentes saepe conqueruntur insufficientis praemij ibi concessi ob praestita obsequia, ideoque autumnant secrete se compensare posse. Quia in re breviter dicendum est latius alibi tradendum, famulos non posse mercedem sibi debitam occulte eripere, si amicabili petitione, aut iudicis interpellatione absque sui graui iactura obtinere valeant ut dictum est & expresse notauit Menoch. casu. 516. de arbitrar. Plerumque tamen conqueruntur minis iusto sibi stipendium concedi, cum tamen iustum concedatur. Pro cuius intelligentia, haec placet aduertere; stipendium iustum illud censeri debere quod lege taxatum est, vel ex communi usu & consuetudine personae eiusdem generis in eo ministerio obsequentibus conceditur. Sicuti notatur Federic de Senis. conf. 218. Petr. Nauarra. lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 409. Menoch. lib. de arbitrar. cent. 6. casu. 514. Exemplis rem declaro. Vluuvenit ut princeps, dux, aliusque nobilis qui in sui obsequium pueros educandos suscipit nullam mercedem praeter victum, & vestitum, & forte non intergrum constituat. Alij harii sui famulis certas horas diei liberas relinquunt, ut studij vacare possint, quibus non velutur, sed victus tantum concedi solet de quibus Curtier. de iurum. confirmat. cap. 64. num. 3. Aliud est genus famulorum qui ad certum genus obsequij designati nimirum ad seruiendum, ad comitandum, certis diei horis, reliquum vero tempus liberum eis relinquunt, iis enim nec victus integer, nec vestitus conceditur, sed pro qualitate laboris, & temporis, & rerum agendarum gravitate mensurandum est stipendium.

Si conventio fuit facta inter haerem, & famulum de stipendio minus solito, quia famulus supplex petiit, ut in obsequium reciperetur, quem Dominus noluit accipere nisi diminuta mercede scilicet, nec tenetur haerem mercedem accrescere, nec famulus potest occulte eripere, quia illa merces designata censetur iusta, & obsequium illius famuli minus solito valere, quia & se obtulit, & eius obsequio forte Dominus non multum indigebat, vel aliud commodius reperire, merces enim in vi dici solet vitiozesse. Sic Nauarra. cap. 17. num. 109. Lessius. lib. 2. cap. 12. num. 61. Petr. Nauarra. ibi. 4. cap. 1. num. 356.

Deinde si tacite vel expresse promissum est famulo aliquod officium, vel diligentia, fauorque praestandus in officij, vel beneficij consecratione, alterius rei famulo vitilis, postmodum vero Dominus nihil horum praestat, poterit famulus occulte eripere quanti promissum aestimatur, si alia via obtinere nequit, quia ea promissio pretio aestimabilis est. Dixi tacite, nam ex eo tantum quod Dominus intellexerit eo fine famulum, suam domum ingredi, eique obsequij, laus esse videtur, inquit Lessius supra, ut obligatus censetur.

Practerea cum Dominus alijs in rebus, vel longiori tempore famulum occupat, quam a principio conuentum est, tenetur solvere prudentis arbitrio, quod aestimatum fuerit, quia illud obsequium est pretio aestimabile, ad quo famulus ex vi promissae mercedis non astringitur. Vnde si famulum recepit, ut comitaretur filium cum scholas pergit, illum doceret, & alijs ministerijs occupat, vel promissisti certas horas diei liberas relinquere, quod tamen non praestas, teneris certe satisfacere, & famulus se compensare poterit, si alia via pretium sui laboris non valet obtinere. Vt docuit Nauarra. dicto cap. 17. n. 111. & 118. Menoch. casu. 514. in fine. & 415.

Item famulus paratis suo harto omnibus horis diei inseruire, tamen non inferuire debetur integer victus & vestitus, vel stipendium ad id sufficiens, nam cum famulus ex suo labore, & industria debeat victum, & vestitum querere, & in cui gratiam exhibeat, vel saltem exhibere paratus sit, a te victum, & vestitum postulare debet. Sicuti bene aduertit Nauarra. d. cap. 17. num. 110 Denique si famulus ob equum exhibeat voluntate gratuita, & non quasi coactio, aut non animo se compensandi, vel expectandi mercedem nullus est compensationis locus, quia de obsequio proprio donationem liberam fecit.

§. IV.

Qualiter voluntate contrahentium, iuramento decisorio, iudicis sententia, & rei debita interitu contractus obligatio cesset

- 1 In contractibus innominatis qualiter obligatio cesset.
- 2 Ex iuramento decisorio absoluitur debitor a debito quoad forum externum.
- 3 Interitu rei quoad speciem absoluitur debitor.

IN contractibus innominatis cessat obligatio ex mutuo consensu, ut de se constat. Item ex parte eius qui contractum impieuit volente alia parte stare contractui. Nam eo ipso repetere

potest datum tanquam datum ob causam causa non secuta, vel agere ad interesse iuxta leg. naturalis §. cum modo de prescript. verbis. leg. si pecuniam leg. si n. ff. de condit. caus. data leg. si liber. Cod. de condit. causam. & habetur leg. regia §. tit. 6. & leg. 43. tit. 4. par. 5. Quod adeo verum est, ut non solum iure civili sed canonico hanc repetitio tibi concedatur. Illam cito alter rei implere, id satis non est quominus tu qui debito tempore impleuisti penitere non possis, atque iure agere, & adimplere volentem excipere, quia debito tempore non impleuisti, quod exceptio opponi semper potest. Vt docuit Bart. in leg. 1. §. & parui §. quod vi, a ut clam. Malecard. de probat. volum. 3. censur. 1381. numer. 21. Roland. conf. 53. num. 3. lib. 2. Fachin. lib. 1. controuers. cap. 8. Neque se tueri poterit ex eo tantum quod obulente, nisi forte tu recipere nolueris, quia non solum debebat offerre, sed de facto dare, & obligatio non habet vim implendi. Vt notat Gloss. in leg. iuri gentium verbo facias, ff. de pactis, nisi secuta depositio, & consignatione. Vt aduertit ibi Iason. n. 1. & facit lex acceptum Cod. de usuris.

Deinde cessat obligatio si creditor eo quod debitum liquidum non possit deferat debitori iuramentum decisorium, debitor iurante nihil debere, absoluitur in foro externo ab obligatione solvendi saltem quoad obligationem, & actionem naturalem, tametsi actio, & obligatio civilis permanere videatur interim ac sententia iudicis non accedit. Haec tamen actio exceptione delationis iuramenti elidi potest. Sicuti diximus de pacto nudo. Vti colligitur ex leg. si eum §. naturalis ff. de solut. iomb. l. g. inferendum, ff. de iur. iurando. & §. praeter §. aequi in ff. de exceptionibus leg. regia §. tit. 14. par. 5. & ibi Gregor. Lopez. Molin. trad. 2. disp. 564. Accedente vero sententia iudicis integri debitor ab obligatione liberatur, ac si de facto solvisset. Vt decidit in suprad. legibus, & aduertunt Gregor. Lopez, & Molin. supra. Obiicitur autem recte Molin. hanc doctrinam in foro externo locum habere nam in foro conscientiae quod veritati nititur debitor ab obligatione liber non est, si falso iurauit, iniquique medius sententiam in sui fauorem extorsit.

Quarto interitu rei debitor quoad speciem absoluitur debitor ab obligatione, si perit ante mortem. Vt dicitur in leg. Titia centum §. ult. ff. de leg. 1. Si alteri stichum haeres dedit, quem duobus diebus dum natus fuerat, & antequam interpellaretur ab altero mortuus est haeres non tenetur, quia nihil per eum factum intelligitur. Ad idem est lex quidam testamentum §. si ribi ff. de leg. 1. & leg. plane §. si quadrupes pauper fecisse dicat, leg. si seruis communis ff. de iuris. Ac si post mortem debitoris perit, non absoluitur debitor ab obligatione sed alimentacionem perire debet. Vt probat lex quod sit §. ff. certum peritur. ibi. Quod re mihi dare oporteat id postea petierit, quam per te factum erit quominus mihi dares, tuum fore detrimentum constat. Hoc autem intelligendum est, dummodo eadem res apud dominum non esset eodem casu fortuito peritura. Vt expresse habetur leg. si plures §. 1. ff. de offi. iudi. si res sua natura, ante rem iudicantem intercederet, veluti si homo mortuus fuerit Sabina, & Cassius, absolui debere eum cum quo actum est dixerunt, quia aequum sit naturalem interitum ad actorem pertinere, vitioque cum interita esset ea res, etsi restituta esset actori, & tradit Gregorius Lopez, leg. 9. tit. 14. par. 5. & pluribus comproba Fachin. lib. 2. controuers. cap. 72.

§. V.

Quo pacto obligatio debiti creditoris remissione cesset.

- 1 Remissione creditoris soluitur obligatio.
- 2 Debet esse debitum eius qui remittit, & quid in hereditas defuncti.
- 3 Oportet non sit inhabilis ad hanc remissionem.
- 4 Remissio liberè facienda est.
- 5 Remissione interpretatur debitum soluitur.
- 6 Quem effectum pariat remissio per pactum nudum.
- 7 Remissio verbis, & facto inducitur.
- 8 Explicatur an ex remissione cuius debitoris ceteri liberentur.

REmissione creditoris solui obligationem testatur D. Theop. ferè ab omnibus receptus 2.2. quæst. 62. art. 6. ad 3. & ibi Caiet. & verbo restitutio numer. 7. Nauarra. cap. 17. numer. 45. Sotus lib. 4. de iustit. q. 7. art. 4. Lessius lib. 2. cap. 11. numer. 34. & colligitur ex leg. si fundum §. Titio fundum ff. de legat. 1. quatenus aliter remissionem debiti esse virtuale solutorem. Neque huius remissionis valor impeditur ex eo quod animum haberes debitum non solvendi, quia si animus voluntariae remissionis, & donationi non obstat, ut dixit Petr. Nauarra. lib. 4. c. 5. n. 29. Eman. Saa. verbo restitutio n. 28.

Duplex autem conditio in hac remissione interuenire debet, ut effectum obtineat. Prima ut creditor remittens debitum aliquo ex capite ab ea remissione non impediatur. Contingit autem impediri, si debitum non sit tantum eius creditoris, sed alterius, ut

debitum famæ religioso restituendum, quod non est ipsius tantum, sed religionis, & debitorum filiarum, sicut, uxoris cuius ipsi non habent administrationem. Horum enim remissio vtpote de iure alieno valida non est.

Ab hac tamen regula excipi debet hæres alicuius defuncti, cuius hereditas insufficientis est omnibus creditoribus satisfaciendi; tunc enim si creditorem maior pars comparatione crediti, vt bene aduertit Menoch. *casu. 245. num. 10.* prædicto hæredi aliquam quantitatem remissio valida est eorum remissio etiam alijs creditoribus non habentibus tacitam, vel expressam hypothecam inuitis, quia ea remissio utilis reipublicæ est, ne defuncti qui huiusmodi defuncti acceptare velint. Vt deciditur *leg. & sum. heredes. §. vlt. cum legib. sequentib. ff. de pactis. l. 1. §. 1. leg. regia 6. tit. 1. §. 1. part. 5.* & ibi Gregor. Lopez, & aduertit Molin. *tract. 2. disp. 572. vers. de iure communi*, vbi aduertit alijs debitoribus ab hærede iure communi hanc remissionem in præiudicium creditorum concedi non posse, bene tamen spectato iure nostro regio ex dicta leg. 6. & merito id sancitum est, cum ea remissio omnibus creditoribus piofit.

Item sæpe aliqui creditores iure positio inuoluntate ad dictam remissionem redduntur, ob vitandas fraudes quæ in ea remissione possunt interuenire. Sicut cum inuoluntate redduntur canonici, vt possint distributiones remittere canonicis à choro absque legitima causa absentibus, *in tra. Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. & ecclesia à qua Archiepiscopus, vel Episcopus officium visitatoris exerceat ultra necessaria accipit*, inuoluntate redditur, vt hæc illis remittat. *cap. exigat de consue. & exactionib. & tradit la. 6. Molin. tract. 2. de iustis disp. 85.* Ad idem est cum iudex delegatus aliquid ultra euentum, & poculentia acceptat, eaque sponne oblata, quæque intra paucos dies consumi possent, aut si acceptat pluraquam moderatas expensas, quando à domicilio egreditur, vel ea receperit à partibus notabiliter indigentibus nulla est remissio illius cui facienda est horum restitutio, sed ea remissione non obstante obligatur acceptum restituere. *cap. statum §. in super in dicto §. si quid de rescriptis in 6. & cap. cum omni de vita, & honestate clericor.* Excipe nisi in aliquo regno contrarium sit consuetudine præscriptum, cui standum esse testatur Molina *supra disp. 84.* Denique in element. volentes de hereticis in 6. præcipitur sub excommunicationis poena inquisitoribus vt, restituant si quæ prætextu officij extorserint (scilicet modis illicitis) aut si aliqua bona ecclesiarum ob clericorum delictum filico addixerint, nullaque eis remissio prodest, vt latius persequitur Molina *tract. 2. disp. 84. Lelsius d. capite. 16. numer. 37. & sequentib.*

Secunda conditio est, vt remissio liberè fiat, si enim fiat ab extorcente, aut alio ex capite mente defuncto nulla ea remissio, quia non est actus humanus potens obligationem dissolvere. Hinc est, non valere remissionem quam à creditore extorques metu inuito, vel fraude commissa. Vt si te, fingeres pauperem, & impotentem ad debita soluenda, cum tamen non sis, vel si creditorem cogeres pro recuperando debito domum tuam sæpe adire, frustra expectare diu, aliaque molestias ferre, ob quam fugam tibi partem debiti remittit, ea remissio non videtur libera, sed per iniuriam extorta. Ad idem est si precibus importunis, & alio modo, quas creditor mauult vitare, quam vt sibi debitum soluat remissio fiat. Vt tradit Nauarr. *cap. 16. num. 17. Sanchez plures referens lib. 4. de matr. disp. 10. Lelsius lib. 2. c. 17. n. 48.*

Porro non solum remissione expressa debitum soluitur, sed etiam interpretatiua, & virtuali, etiam si probabilibus, & moraliter certis coniecturis existimes creditorem gratum fore, vt debitum retineas, & tibi applices, excusaris ab eo debito soluendo, quia ea concepta remissio operatur quod operaretur expressa. Hac enim ratione à furto excusatur, accipiens rem à quo credit non ægrè laturum. Vt docet Nauarr. *cap. 17. num. 139. Perr. Nauarr. lib. 1. de rescriptis. cap. 1. num. 160. & 200. Lelsius lib. 2. cap. 11. num. 48.* Ex quo capite ij doctores excusant plerumque famulos filios, & amicos aliqua euentum, & poculentia à domino suscipientes certo putantes si petere sibi esse concedenda, non tamen audent petere ob verecundiam in quo non committitur furum, cum absolute accepto domino non displicat, sed modus tantum scilicet occulte, & secretò, & ipso non præmonito. Ergo à fortiori excusaberis, quando certo iudices creditorem gratum habere quod debitum retineas, tamen aliquas ob causas non audeas remissionem petere, & docuit Eman. Saa. verbo *rescript. n. 32.*

Quoad forum externum attinet spectato iure communi, hac remissione facta, pacto nudo, id est nec iuramento, nec stipulatione vestito sola extinguitur actio, & obligatio naturalis civilis actione, & obligatione remanente, quam debitor excipere potest allegatione remissionis sibi factæ. Vt habetur. *§. præerea. §. aquè insit. de exceptionibus & leg. si vnus §. pactus. ff. de pactis.* At spectato iure nostro regio. *leg. 2. tit. 16. lib. 5. collect. omnis actio, & obligatio extinguitur, ac si verè debitum esset solutum; cessatque omnis obligatio accessoria fideiussoris, & pignoris §. 1. quibus modis soluitur oblig. in insit. & leg. Ferr. de Castro, de iust. & iur.*

cum principalis ff. de regul. iur. & cap. accessorium. de reg. iur. in 6.

Hæc autem remissio non solum verbis, sed etiam facto in foro externo inducitur. Si enim creditor instrumentum obligationis rumperet, cancellaret, vel suo debitori traderet scienter, & absque villa vi, manifestè conuincitur debitorum velle remittere. *iuxta leg. si enirographum ff. de probationib. & leg. habeo ff. de pactis.* Quod adeo verum est, vt ex eo tabrum quod apud debitorem, nisi domesticus sit, illud instrumentum reperitur, siue cancellatum, siue non fiat præsumptio vel debitum soluisse, vel à creditore remissum esse. Quocirca si creditor asserat ignoranter tradidisse, vel rupisse, seu cancellasse, vel vi aut furum sibi sublatum esse, probare testibus poterit. Interim autem debitor cogi non potest soluere. Vti colligitur ex his quæ tradit Barr. & Baldus in dictis legib. Gregor. Lopez, *leg. tit. 19. part. 3. & leg. 9. tit. 14. part. 5. Paul. Laym. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 2. c. 9. in fine.*

Sed quid dicendum, cum creditor plures habet debitores, & vni obligationem soluendi remittit, manent ne omnes à debiti solutione liberi? Respondeo, si is cui facta est remissio, sit principalis debitor, alij vero solum secundarij, & in illius defectum, certum est omnes liberos esse, sicut liber est fideiussor, facta debitori remissione. Vti ex communi docuit Ioann. Medin. *quest. 8. dub. 3. Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 3. in fine Gabr. Valq. de rescript. cap. 9. §. 1. dub. 4.*

Si verò remissio facta sit secundario debitori distinguendum est de remissione debiti, vel de remissione actionis. Si solum actionem creditor remittat, qua potest illum in defectum principalis compellere, manifestum est ex hac remissione nihil principali debitori remissum esse, sed integrè ac antea adstrictum manere, quia eius obligatio non pender ab obligatione secundarij, vt contingit in remissione facta fideiussori, cuius causa debitor non liberatur. Verum si creditor remittit debitum absolute, quod præstare nequit nisi in defectum principalis, quia non est debitor, nisi cum hæc deficit, tunc principalis non tenetur creditori soluere, sed ei cui est facta remissio. Nam per hanc remissionem creditor ius quod habebat in principale, transiit in secundarium; ea enim remissio est quadam debiti solutio. At soluente secundario debitor, principalis ei tenetur. Sicut docuit Petr. Nauarr. *lib. 3. de rescript. c. 4. n. 94.* Si vero plures sint debitores æque primò, vel æque secundo, ex remissione vni concessa, alij non deobligantur soluere suam portionem, quia vnus obligatio ab altera non pender, neque illi est accessoria. Non tamen ob eam remissionem grauari singuli debent amplius quam si remissio facta non esset, vt bene aduertit Valquez, *dub. 5. Quare si Petr. Ioannes, & Andreas, vt inquit Valquez, deberent sex, & Petro sua portio remissa esset, si Ioannes nollet soluere suam portionem, Andreas non teneretur soluere quatuor, sed tria; quia inter ipsum, & Petrum cui est facta remissio solutio diuidenda est.*

§. VI.

Qualiter remissione prælati, obligatio reddendi debita cesset.

1. Hac remissio requirit causam rationabilem.
2. Cum bona sunt incerta qualiter Pontifex eorum obligationem remittat. Respondetur remissio.
3. Quibus in euentibus remittere Pontifex debita certa potest.

Hæc compositio, & remissio tam circa debita certa, quam incerta esse potest, sequitur tamen causam rationabilem vt valida sit saltem quoad bona quæ Pontifex temporalis iurisdictioni specialiter non sunt subiecta. Vti docuerunt Ioann. Medin. *cod. de rescript. q. 3. causa 11. Sy. uel. rescript. 7. q. 2. Perr. Nauarr. lib. 4. de rescript. c. 5. num. 24. Lelsius lib. 2. cap. 16. num. 81.* Nam cum Pontifex horum bonorum dominus non sit, nequit illorum dispositionem habere, nisi quatenus bono speciali Ecclesie conducere potest.

Cum bona sunt incerta tract. de bulla Cruciata circa finem, docuimus qualiter Pontifex eorum remissionem faciat, & quomodo ab alijs prælati hanc potestatem remittendi, seu componendi debitores abstulerit, ibique examinauimus, an debitores quibus ea compositio, seu remissio facta est teneantur domino comparente restitutionem aliquam præstare, maxime si sententia iudicis condemnatoria accedat.

Quoad debita certa attinet raro vel nunquam Pontifex hanc compositionem seu remissionem facit, tamen si facere possit, vt præcitati doctores docent. Nam cum Pontifici competat totius Ecclesie regimen, & administratio, aliquandoque possit conducere huic recte administrationi, ne debita alicui personæ soluantur, poterit illorum solutionem impedire, cum omnia bona temporalia spiritualibus debeant esse subiecta. Quod autem aliquando conducere possit, vt debita certæ personæ non soluantur inde conuincitur, creditori in hæresim, aliudve crimen lapsi

lapso confiscari, illorumque dominium auferri posse. *cap. cum secundum leges de hereticis in 6.* Ergo à fortiori eorum debita confiscari possunt. Et quod magis est, principes ecclesiam oppugnantem priuantur à Pontifici dominis, & iurisdictionibus, & eorum subditi à iuramento fidelitatis eximuntur. *cap. absolutos de hereticis.* & ibi Glossa. Ergo à fortiori poterunt debitores ab obligatione illis debita solvendi liberari. Deinde non solum in penam culpæ à creditore commissæ poterit Pontifex creditorem à soluendo debito liberare, sed quia id bono spirituali, & illius rectæ gubernationi cedit. Si enim debitor pro defendenda ecclesia labores plurimos subiit, aut propria bona exposuit, poterit Pontifex in gratiam defensionis ab obligatione debiti solvendi liberare. Et licet hic fauor, & gratia cedat in tertij praiudicium, id permittendum est ob bonum commune, maxime si alia via illud praiudicium compensetur, vti fieri potest, & conuenit. Et ratio omnium est qui licet Pontifex non habeat dominium directum, & per se, bonorum fidelium qui sibi temporaliter non subduntur, habet tamen administrationem, & dispositionem illorum quatenus spirituali ecclesiæ administrationi necessaria fuerint. Vnde potest de his disponere prout ad huiusmodi finem consequendum conueniens fuerit. Vide quæ dixi *suprad. tract. de vtili punct. ult.*

PUNCTUM XVII.

De causis ob quas à debiti solutione excusari debitor potest.

Hæ causæ communes sunt tam debitis ex legitimo contractu, quam ex delicto prouenientibus, ideoque doctrina omnibus communis erit.

§. I.

Qualiter necessitas extrema debitum soluendum extinguit.

1. *Debita alia sunt, quorum dominium non habet patiens necessitatem, alia quorum habet dominium.*
2. *Consumens rem alienam in hac necessitate aliquibus videtur obligatus, transacta necessitate, creditori satisfacere.*
3. *Si aliquid superest post necessitatem domino est reddendum.*
4. *Si aliunde habeas, vel speras habere bona quibus in necessitate consumptum satisfacias, obligaris. Secus si hac deficiant.*
5. *Si res consumpta tua sit, esto debita, non exinguitur debitum.*

Pramittendum est, debita alia esse quorum dominium non extat apud debitorem; vti sunt regulariter debita ex furto: rapina, aliove simili delicto: item ex contractu depositi, aut commodati. Alia debita sunt, quorum dominium debitori competit; vti sunt debita ex mutuo, emptore, similive contractu. Secundò hæc debita contrahi possunt ante necessitatem, vel necessitate vigente. Tertiò debitor potest esse ita pauper, vt non habeat aliunde bona, neque proximam spem habendi quibus debitis satisfacere possit, vel potest alibi bona habere, quibus satisfacere debitis potest, tamen si præfenti loco ea non habeat. Quartò quidquid debitor exercere potest circa seipsum, idem exercere potest, si eius parens, soror, vxor, filij, alijque similes ea necessitate opprimantur. Vti docuit Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. Lopez 1. p. instruit. cap. 53. Tolet. de peccat. mort. cap. 19. Petri. Nauar. lib. 4. c. 4. numer. 17. Lessius lib. 2. c. 16. num. 1. & 4.

Conueniunt omnes debitorem vsu rei alienæ extremè indigentem posse accipere, & solutionem differre. Solumque est difficultas, an eo vsu contentus esse debeat ita vt transacta necessitate teneatur debitum soluere ac si necessitas non interuenisset? Et ratio difficultatis est, quia non videtur obligatus creditor eo casu absolute donare, sed solum donare sub onere restituendi, vel mutuare, si quidem ea donatione vel mutuo, æquè ac donatione absoluta, necessitati occurrat, quod tantum creditor præstare debet. Vti docuit Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 4. Quod efficacius videtur procedere, si ante necessitatis aduentum rem inique abstulisti, vel in depositum, aut commodatum accepti quia teneris tunc ex iniusta acceptione, quæ ob necessitatem non remittitur, vel ex contractu qui non dissoluitur.

Dicendum igitur est, si transacta necessitate aliquid ex re aliena residuum fuerit, domino reddendum est, vti ex ferè omniuni sententia docuit Medina de rebus. q. 3. causa 1. Petri. Nauar. lib. 3. c. 1. n. 322. & lib. 4. c. 4. n. 24. quia indigens solum potest aliena accipere, & retinere quatenus suæ necessitati subleuanda necessaria fuerint. Et tamen si accepisti equum, nauem, pallium, vt necessitati subuenires par non est vt dominus iis priuetur, si quidem eorum vsu iam non indiges. Neque enim tibi res concessa fuit, sed vsus.

Quando autem res aliena in remedium necessitatis extremæ absumitur, vti plerumque est res vsu consumpibilis, distingi debet si aliunde habeas, vel speras habere bona quibus creditori satisfacere possis, tamen si eius debita consumas, nullatenus tibi obligatio debiti extinguitur, sed consopitur refutectura postmodum. Vt bene docuit Petri. Nauar. lib. 4. capite 4. numer. 20. Lessius *dicto capite 16. numer. 4.* Ratio est, quia extrema necessitas tantum tribuit ius dominum rebus propriis priuandi, & debita denegandi quatenus absumens vere illis indiget. At si bona aliunde habes, vel speras habere non indiges creditorem suis debitis priuare, tamen si indiges suis bonis quasi in commodum vti, ergo, &c.

Quod si bona aliunde non habeas, sed verè pauper sis probabilius exitimo, re consumpta, nullam tibi superesse obligationem, siue rem possideas ex delicto, siue ex contractu non transferente dominium. Sic pluribus firmat Petri. Nauar. lib. 3. de rebus. cap. 1. numer. 300. & *seq. præcipue numer. 311. & lib. 4. cap. 4. numer. 24.* Moueor, quia diuisio rerum iure gentium introducta videtur sub eo onere, & conditione vt extreme indigenti subueniant, ideo quæ tritum est prouerbium. In necessitate omnia sunt communia. Causa enim necessitatis extrema exceptio est à diuisione, ergo absumens rem alienam in ea necessitate non absumit alienam, sed propriam, sibi quæ ratione necessitatis iure gentium applicatam. Non igitur ad villam restitutionem obligandus est. Quod si dicas; accipi rem alienam ante necessitatem furto, vel rapina, contraxi ergo obligationem restituendi ex iniusta acceptione, quæ obligatio superueniente necessitate non videtur extingui, sed consopiri refutectura postmodum, si ad lautiorum fortunam deuenire, vel accipi in depositum, aut commodatum quorum contrarium obligatio, transacta necessitate, vigere potest cum non videatur necessitate extingui oblat. Qui debitum ex iniusta acceptione, commodato, vel deposito cessat si dominus liberam illius donationem faciat. At vigente necessitate saltem ex charitate & vt pluribus placet ex iustitia, tenetur dominus donationem rei proximo necessitatis facere. Ergo cessat integra obligatio. Minorem probo, quia eo casu tenetur elemosynæ præcepto, cui non satisfacit mutuo, vel donando sibi obligatione restituendi, quod idem est. Donans enim sub obligatione id ipsum reddendi non donat, sed mutat: ut præcepto elemosynæ mutuo non fit satis, sed necessaria est donatio. Vt probauit *tract. de charit. disp. 2. pun. 2. & 3. ergo, &c.* Adde cum res absumpta ex deposito, vel commodato habeatur & petit abique depositarij, vel commodatarij culpa domino petiit, neque vlla inde obligatio depositario, aut commodatario nascitur.

Verum si res quæ absumitur propria sit eo quoad mutuo, vel venditione ante necessitatem habuisset, non tibi extinguitur obligatio, quia eo casu non indistiguitur alieno, sed proprio, & proprium consumpsisti. Non igitur ab obligatione ante contracta excusaris, hæc enim excusatio necessaria non fuit, vt tunc necessitati prouideres. Atque ita docet communij Petri. Nauar. lib. 4. c. 4. n. 20. Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 1. numer. 4. præter illos quos retuli *tract. de charit. disp. 1. pun. 10.*

§ II.

An idem dicendum sit de necessitate graui, & iactura status.

1. *Stante necessitate graui deobligaris interim restituere.*
2. *Verius est necessitatem grauem debitum extingui, siue necessitas extrema.*
3. *Proposuitur obiectio.*
4. *Ad prædictam necessitatem iactura ab statu reducitur.*
5. *Duplex conditor interuenire debet.*
6. *Quid si creditor in eadem sit necessitate extrema cõsumat.*
7. *Et quid in graui necessitate.*

Quod necessitatem grauem attrinet quæ in eo sita est, vt si debita solus difficulte vitam sustinebis, infirmitatibus vexaberis, à tuo statu decides, &c. conueniunt communiter doctores, S. Antonin. 2. p. tit. 2. cap. 8. Scotus in 4. d. 15. q. 1. 2. art. 4. Syluest. verbo restitutio. 5. q. 1. 1. & 3. Nauar. cap. 17. num. 62. Petri. Nauar. lib. 4. cap. 4. numer. 4. Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 1. numer. 14. Paul. Laym. lib. 3. sum. sect. 5. tract. 2. cap. 11. te deobligatum esse interim restituere. Quia nullus debitor attingitur debita reddere, si ex ea redditione graue damnum incurrit, quia lex charitatis, & iustitiæ quæ suus est, acquirit tam graue onus debitoribus imponere.

Difficultas autem est, an ea necessitas grauis extinguat debitum, eo modo quo nuper diximus necessitatem extrema extingui. Et affirmatiuam partem probabiliorē reputo, eo quod præceptum elemosynæ non solum diuitem in extrema necessitate, sed etiam in graui attingat. Vti probauimus *dicto tract. 6. de charit. disp. 2. de elemosyna pun. 2. & tradit plures referens Petri. Nauar. lib. 3. de rebus. cap. 1. n. 315. Banner 2. 2. q. 37. art. 6. dub.*